



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Ad Fanniam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

Vos ego Panchoe supplex uenerabor odore.  
 Floribus è uernis, pictaq; ferta dabo.  
 Vobis myrteolo spargam de flore liquorem,  
 Vobis de roseo lymphæ madore fluet.  
 O' male, quod fletu ne quicquam absimor inani.  
 Despectasq; meas pessule lente preces.  
 Sic tibi nec longæ caries, nec ruga senectæ  
 Officiat, nec te sentiat ignis edax.  
 Sic tibi nec raucae stridet quæ lamina serræ  
 Nec queat ulla tibi sœua nocere manus.  
 Furtiuus clauso sensim te subtrahē posti,  
 Ut pateat moto cardine laxa foris.  
 Sed mihi quid lacrimæ profunt? quid uota? preces' ues.  
 Roboribus duris nulla subest pietas.  
 Crudeles postes, crudelis ianua, tuq;  
 Tam male grate meis pessule delitijs.  
 Vos situs obducat, uobis non æqua securis  
 Sœuiat, & cuneiis instet acerba manus.  
 In uos irati procurent, undiq; amantes.  
 Ingerat hic lapides, inferat ille faces.  
 Ergo ubi tam duræ consumpsi tempora noctis  
 Mortua quid prodest membra referre domum?  
 Hic moriar, sit & hæc mihi funeris author acerbæ  
 Ianua, sint tumulus limina, & ipsa meus.

## AD FANNIAM.

P vella molli delicatior rosa,  
 Quam uernus aër parturit,  
 Dulciq; rore Memnonis nigri parens  
 Rigat suavi in hortulo,

AMORVM

Quæ mane primo roscidis cinctos folijs  
Ornat nitentes ramulos,  
Vbi rubentem gemmeos scandens equos  
Phœbus per agrat æthera.  
Tunc languidi floris breue, & moriens decus  
Comas reflectit lassulas.  
Mox prona nudo decidit circumine  
Honorq; tam breuis perit.  
Sic forma primis floret annis. indecens  
Vbi senectus aduenit,  
Heu lanquet oris aurei nitens color.  
Quod ruga turpis exarat.  
Perit comarum fulgor, & frontis decus,  
Dentesq; flauent candi di.  
Pectus papillis inuenustum languidis  
Sinus recondet sordidus.  
Quod nunc eōis lucidum gemmis nitet  
Tenuisq; uestit fascia.  
Nullas amantis audies moesti preces,  
Duram querentis ianuam.  
Non ferta lentis fixa cernes postibus  
Exclusi amantis munera.  
Sed sola noctes frigido cubans toro  
Nulli petita conteres.  
Quin hoc iuuentæ floridum, atq; dulce uer,  
Breuemq; florem carpinus.  
Post lustra quinq; iam senectus incipit  
Latensq; surrepit modo.  
Quare meorum o' aura suavis ignium  
Dies agamus candidos,

Noctesq; diuæ conteramus integras,  
Quæ mane lucet hesperus.

Ad pueros de Columba.

Vi uestrum niueam meam columbam  
Donabo o' pueri? tibi ne Iuli,  
Num Cœli tibi? num tibi Nearche?  
Non uobis dabimus mali canædi.  
Non uos munere tam elegante digni.  
Quin ite illepedi, atq; inelegantes.  
Ales nam Veneris nitore gaudet  
Odit sorditatem, inficietasq;  
Insulsoſ fugit, & parum uenustos.  
Sed cui nam cupis o' columba munus  
Deferris? scio, nam meam puellam  
Amas plus oculis tuis, nec ulla  
Viuuit mundior, elegantior' ue,  
Hæc te in delitijs habebit, hæc te  
Præponet nitidis suis ocellis.  
Nec tanti faciet suam sororem.  
Huius tu in gremio beata ludes  
Et circunſiliens manus, ſinumq;  
Interdum aureolas petes papillas.  
Verum nunc caueas, proterua ne sis,  
Nam pœnas dabis, & quidem ſeueras,  
Tantillum modo tam uenusta poma  
De tactu uities. & eſt Diones.  
Tutelæ hortulus ille dedicatus.  
Numen laudere tu tuum cauetu.  
Impune hoc facies uolente diua,